

SECTIO I.

Explicans varias Infiniti acceptiones, rationemque formalem nostræ in præsentî acceptionis.

Th. I.

Infinitem multis sumitur modis. Quapropter eorum potissimos pro ratione brevitatis, cui litabimus, adducturi sumus.

Th. II. Primò quidem sumitur apud Philosophos imprimis Scholasticos τὸ infinitum interdum improprie pro eo, quod est magno numero, Sic explicante Comptono Carletone in *Philos. suâ universâ disp. XLVI. Sect. 1. n. 1. ut & docente Francisco Bonæ Spei Tract. III. in cet. Libb. Phys. Aristotelis disp. 1. dub. 1. Res. 1. n. 3. p. 137.* ut quando E. g. in vulgari loquendi modo divitem, qui ingentes possidet opes, infinitam auri & argenti habere dicimus copiam. Sic cum infinitæ magnitudinis dicitur longum & latè patens corpus.

Th. III. Deinde etiam negativè, & maximè improprie accipitur Infinitum, eoque sensu punctum seu indivisibile mathematicum dici solet infinitum, quòd nullos habeat fines, cum nullam habeat extensionem. Quæ acceptio vocis hujus Aristoteli, quando *L. 3. Acroam. Phys. c. 4.* in finè quinque τὰ infiniti acceptiones adducit, prima est: ibique modum primum vocat ἀδύνατον διελθεῖν τῷ μὴ πεφυκένας διίεναι, ejusque statim exemplum subnectit, hæc verba addens: ὡσαυτὴ ἢ φωνὴ ἀόρατος.

Th. IV. Porro magis propriam sustinet acceptionem Infinitum: Estque vel simpliciter, vel secundùm quid tale: Infinitum secundùm quid est vel secundùm quantitatem, vel secundùm qualitatem tale: Illud iterum vel ratione quantitatis continuæ, vel ratione discretæ infinitum vocari & considerari potest: respectu prioris infinita dicitur magnitudo nempe linea, superficies, corpus: respectu posterioris, quantitatis scil. discretæ infinitus est numerus qui in infinitum augeri potest additione unitatum. Deinde secundùm qualitatem infinitum dicitur à Scholasticis, quod ratione graduum qualitatum in infinitum intenditur, E. g. gradus calo-